

la sola.) & ex eo numero, quem duæ illæ fi-
 guræ referunt, abijcienda 7. quoties fieri po-
 test, & residuum pro denis accipiendum, eiqs
 sequens figura addenda pro vnitatibus, atque
 ex hoc numero, quem residuum, & sequens fi-
 gura exprimunt, iterum abijcienda 7. quoties
 fieri potest, atque ita deinceps. Vt ex numero
 2379. ita reijcientur 7. Ex 23. si ter abijcian-
 tur 7. remanent 2. Item si ex 27 (Nam figura
 2. relicta, & sequens figura 7. constituunt huc
 numerum 27.) reijciantur ter 7. relinquun-
 tur 6. Si tandem ex 69. (qui numerus consti-
 tuitur ex residuo 6. & figura 9.) reijciantur
 7. quoties fieri potest, remanent 6. Qui nu-
 merus etiam reliquus fuisset, si omnia 7. ex
 dato numero fuissent abiecta. Eodem modo
 ex hoc numero 783. ita abijcientur 7. Si ex 8.
 (Nam 7. omittuntur, vt dictum est, & ex 8. re-
 ijciuntur 7.) abijciantur 7. remanet 1. Rursus
 si ex 13. reijciantur 7. remanent 6. atque ita de
 cæteris.

Itaque hac ratione superius exemplum ex-
 aminabitur.

710654	0
8907	3
56789	5
880	5
777230	



Omissa figura 7. si ex 10. abijciantur 7. re-
 manent 3. Item si ex 36. abijciantur 7. rema-
 net 1. Abiectis verò 7. ex 15. remanet 1. Abie-
 ctis tandem 7. ex 14. remanet 0. quam figu-
 ram colloco ad dexteram primi numeri du-

B a

ctâ prius